

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gvn-ha33-1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gvn-ha33-1-219543)

Trin. Act. 4. Sc. 3 v. 85. per similitudinem dixit:

— Res quom animam agebat, tum esse offusam oportuit.

Liuius, *trahere animam* dixit, lib. 3. c. 6. *Mortuus Aebutius erat Romanus consul: collega eius Seruilius exigua in spe traherat animam.*

EPISTOLAE XIV.

ARGVMENTVM.

Multa complectitur haec epistola: de L. Domitii Ahenobarbi repulsa in eugurato; de Saturnino, ab Cn. Domitio Caluino in iudicium vocato; de Pompeii Caesarisque discordia; de Appii ridicula in emendandis ciuitatis moribus diligentia.

EXPLANATIO.

Arsacen capere] Seruius in lib. 6. Aen. v. 762. haec scripsit: *Albani omnes reges dicti Sylui sunt ab huius (Sylui, Aeneae et Lauinae filii) nomine: sicut hodieque Romani Imperatores Augusti vocantur: Aegyptii, Ptolemaei: Persae, Arsacidae.* Est igitur *Arsaces*, generale nomen regum omnium apud Parthos, deductum ab eo, qui Parthorum regnum primus constituit. hoc quidem tempore Parthorum rex erat Orodes, nominatus lib. 15. epist. 1. et lib. 5. ad Attic epist. 18. et 21. vt historicos omitam. Sed de Arsace rege, et de reliquis, qui ei successerunt, quae collegimus ex Iustino lib. 41. et 42. fortasse hic adscribere operae pretium fuerit. Arsaces, vir incertae originis, sed virtutis egregiae, solitus latrocinio et rapto viuere, regnum apud Parthos primus constituit, cum aliarum antea gentium regibus paruissent. ita, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decessit: cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, vt omnes dein-

de reges suos Arsacis nomine appellarent. Huic successit filius, et ipse Arsaces dictus. Tertius Parthis rex fuit Pampacius, et ipse Arsaces cognomine, vt reliqui omnes reges; sicuti Romani, Caesares Augustosque cognominarunt. Pampacio successit filius Phraates: Phraati, frater eius Mithridates, qui Parthorum imperium a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, vsque ad flumen Euphratem protulit; nec minor Arsace proauo, gloriosa senectute decessit. Ei successit Phraates filius: Phraati patruus eius Artabanus: Artabano Mithridates filius, cui res gestae Magni cognomen dedere. Quo, propter crudelitatem, a senatu Parthico eiecto, regnum occupauit frater eius Orodes; qui fratrem suum Mithridatem, vltro se in potestatem eius tradentem, in conspectu suo trucidari iussit: hic est Orodes ille, qui M. Crassum cum filio et omni exercitu Romano deleuit. cui successit filius Phraates expellente, a patre viuo rex constitutus; qui statim et patrem ipsum, et fratres triginta trucidauit, Augusto imperante.

Seleno

Seleuciam] Regiam Parthorum, a Nicatore Seleuco exaedificatam, vno ex ducibus Alexandri, quem Arsaces deuicit, vt Ammianus lib. 23. c. 6. prodidit. Seleuceas tres, Picriam, ad Euphratem, ad Belum, Ptolemaeus facit.

Tibi oculi doluissent] Sic apud Terentium in Phorm. Act. 5. Sc. 8. v. 63.

Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nauisstrata, Et quod tuo viro oculi dolent? —

In repulsa] Cum auguratum peteret, in locum Hortensii mortui, quem augurem fuisse, et Phil. 2. c. 2. et prooemium libri de clar. orat. demonstrat.

Comitia] Non centuriata, sed tributa: quod ex Phil. 2. c. 2. et aliis praeterea locis intelligitur. augures enim hoc tempore populus creabat, lege lata a T. Atio Labieno, tribuno plebis. antea creabantur ab ipso collegio. diximus copiose in libro de Legibus.

Studia] Et quidem tanta, vt multi postea de vi condemnati sint: quia nimis Antonii studiosi fuissent.

Necessitudinem secuti] Officium, inquit perpauci praestiterunt: amicitiae habita ratio est. verum hoc ita Coelius implicauit, vt ex ipsis non facile verbis exprimitur. nam, *necessitudinem secuti*, non est vnde pendeat, nisi referatur ad, *perpauci*. quod si sit, perpauci videbuntur necessitudinem secuti: cum tamen contraria sit sententia. constat enim dici, perpaucos officium praestitisse, quia plerique necessitudinem secuti sint.

Ne familiarem quidem suum] Notat ingenium Domitii, cui familiares etiam odio essent.

Per iniuriam] Quod sibi, viro consulari, M. Antonius, qui nondum tribunatum plebis adeptus erat, in auguratu praelatus esset.

Ereptum] Id quod petebat, auguratum.

Cuius ego auctor fuerim] Quid mirum? cum amicissimus Curioni esset Coelius, Curio autem vehementer Antonio faueret. quod ei obiicit Cicero Phil. 2. c. 2. *Poteras, inquit, eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tu, cum es factus, vnam tribum sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.* Plutarchus etiam, Curionis praecipue opera, tribunatum hoc anno gerentis, Antonium augurem creatum narrat.

Gausos suum dolorem] Epist. 2. dixit, gaudium gauderemus.

Vnumque me studiosiorem Antonii] Me potissimum Antonii studiosiorem, quam ipse fuit. c. de Antonio, augure creato, legimus in Phil. 2. c. 2. apud Hirtium lib. 8. de bell. Gall. c. 50. apud Plutarchum in eius vita, et hic lib. 12. epist. 22. suum collegam Cicero appellat.

Ipse En. Domitius] Lucii filius, de quo illa superiora scripta sunt. Docet Suetonius in Nerone c. 1. Domitiam gentem duobus tantum praenominibus vsum esse, Lucio, et Caio. huic autem, qui Saturninum accusauit, Lucii, qui cum Ap. Claudio consul fuerat, filio, quem in auguratu repulsam esse patrum Coelius ostendit, praenomen fuisse Cnaeo, ex Dione cognoscitur.

Pp

Reins

Reum fecit] *Reum facere*, non est, in iudicio accusare; sed, postulare. sic epist. 6. dixit, *Appium a Dolabella reum factum*, cum de postulatione intelligeret, ut ibidem patet.

Superiore a vita] Alii legunt, *superiore vita*: non diuersa sententia. ego, ne discedam a veteribus libris, in quibus est, *superior ea vita*, legendum duxi, *superiore a vita*.

Nunc in expectatione, inest etiam ERN. *Nunc in expectatione est]* Vbiunque scriptos libros, praesertim et multos, et vetustiores, dissentire video ab impressis; operae pretium puto, lectorem admoneri, nam, etsi perspicue patet sententia, videndum tamen, eius ne sit, qui librum composuit, an eius, qui descripsit, aut emendare conatus est. Hic antiqui libri, quos quidem ego viderim, omnes, in omnibus verbis aliter habent, atque in vulgatis legitur: non pro nunc: in, non habent: *expectationem*, pro *expectatione*: *inest*, pro *est*.

Sex. Peducaei] Amicissimus Pomponii Attici fuit. Nepos in Attici vita c. 21. Cicero lib. 7. ad Attic. epist. 13. 14. 17.

Absolutionem] Significat, cum nocentissimus esset, tamen absolutum. quo exemplo bene sperandum omnibus reis.

Neceffe est] Non enim erat inter Pompeium et Caesarem necessaria, sed voluntaria contentio.

Rerum potiuntur] Auctoritate, gratia, opibus in ciuitate plurimum possunt, alii pro Caesare, alii pro Pompeio sentientes. sic locutus lib. 1. epist. 3.

Consulem aliter fieri] Aut non peti a Caesare consulatum, aut a praesente peti, exercitu et Gallis successori traditis, Pompeius volebat.

Se saluum esse non posse] Timebat, ne priuatus in iudicium vocaretur ab inimicis, ob ea, quae consul contra auspicia intercessionisque pro sua potentia fecerat. Suetonius in Iulio c. 30.

Ambo exercitus tradant] Aequa conditio videbatur: sed hoc sperabat Caesar, dimissis ab ipso et a Pompeio exercitibus, se tamen, cum vellet, facile suos milites, qui cum eo per tot annos vixerant, reuocare posse. quod Pompeio de suis, nouo delectu coactis, non item sperare licuit. et ob hanc fortasse causam, (ut aliae fileantur) oblatam a Caesare conditionem Pompeius recusauit. Hirtius lib. 8. de bell. Gall. c. 52. *C. Curio, tribuns plebis, cum Caesaris causam dignitatemque defendendam suscepisset, saepe erat senatui pollicitus, si quem timor armorum Caesaris laederet, et quoniam Pompeii dominatio, atque arma non minimum terrorem foro inferrent; discederet uterque ab armis, exercitumque dimitteret: fore eo facto liberam, et sui iuris ciuitatem. Neque hoc tantum pollicitus est, sed etiam per se discessionem facere coepit: quod ne fieret, consules amique Pompeii iusserunt, atque, ita rem moderando, discesserunt. Id etiam ad senatum a Caesare scriptum esse, et hanc ab eo, post belli ciuilis initia, conditionem esse delatam, ipse demonstrat lib. 1. de bell. ciu. c. 9. Proficiscatur, ait, Pompeius in suas prouincias; ipse exerci-*

exercitus dimittant: discedant in Italia omnes ab armis: metus e ciuitate tollatur. Idem confirmat Appianus, Plutarchus, et alii.

Illi amores] Qui fuerunt inter Caesarem et Pompeium, praesertim post nuptias Iuliae, Caesaris filiae, Pompeio collocatae.

Inuidiosa] Inuidia, quam improbarunt omnes boni.

Se erumpit] Sic liber Sigonii, et recte: ut cum proximo verbo *recedit*, congruat: nam si, *erupit*, legatur, ut est in plerisque antiquis libris, reponendum erit, *recidit*, pro *recedit*, contra veterum librorum auctoritatem. *Erumpit*, et *erumpit se*, veteres dicebant. Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 14. *Portis se foras erumpunt.* Virgilius lib. 1. Georg. v. 445.

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese

Diuersi erumpunt radii. —

Et lib. 4. ibidem v. 368.

Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus.

Et lib. 3. Aen. v. 572.

Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem.

Lucretius lib. 4. v. 1108.

Tandem ubi se erupit neruis coniecta cupido,

Parua fit ardoris violenti pausa parumper.

Attius Epigono, apud Nonium: Imperius stupiditate erumpit se, impos consiliu. Erumpere stomachum, dixit Cicero lib. 16. ad Attic. epist. 3. Hunc tu tralatium in macrocolum lege arcano cominus tuis: sed, si me amas, hilis et bene acceptis, ne in me stomachum

erumpant, cum sint tibi irati. Et Terentius Eun. Act. 3. Sc. 5. v. 2.

Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? —

Sic, *emerge*, et *emerge se*, probavit antiqua consuetudo. Cicero de harusp. resp. c. 25. *Iam ipse serpens, quae tui hic delitescit, tum se erigit et fertur illuc, compressa atque elisa morietur.* Nepos in Attici vita c. 10. *Quibus ex malis ut se emer* sit.

Neque, mearum rerum quod consilium capiam, reperio] Respondit ad hanc sententiam Cicero his verbis lib. 2. epist. 15. *Ipsa republica nihil mihi est carius: in qua tu non valde te iactas. distriktus enim mihi videris esse, quod et bonus ciuis, et bonus amicus es.*

Quod non dubito] Modus loquendi, parum fortasse animaduertus. nam, *quod*, valet *sed*: ut lib. 14. epist. 4. *Quod utinam minus vitae cupidi fuissetus!* Et Phil. 10. c. 4. *Quod, qui ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrium, et praesidium firmissimum adimit reipublicae.* Et Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 16. *Quod ubi hostes viderunt ea.* Et lib. 3. c. 68. *Quod cum esset animaduertsum, coniectam esse flumini.* Varro lib. 6. de L. L. *Quod cum dicunt conspicionem, addunt cortumtionem.* Liuius lib. 41. c. 10. *Quod cum milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cum is more maiorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab urbe esset.* Plinius lib. 18. c. 23. *Quod ut hanc quoque curam determinemus.*

Pp 2

Cum

Cum hominibus his] Cum Pompeianis.

Causam illam] Caesaris, extraordinariam potentiam quaerentis, qui senatui dicto audiens esse nollet.

Non homines] Amabat enim Curionem, Antonium, Dolabellam, Caesaris causam acerrime tuentes, de Antonio paullo ante in hac ipsa epistola: de Curione saepe: de Dolabella epist. 13.

Id melius statuere, quod tutius sit] Quemadmodum ipse statuit.

Quique res iudicant] Iudices: quos Pompeius tertium consul CCCLX. legerat. supra. Docemur exemplis, veteres dixisse *qui res iudicant*, cum iudices significarent. lib. 2. de Orat. c. 37. Phil. 1. c. 8. et 5. c. 5. et Q. Cicero de petitione consulatus c. 2. et Peditianus in Pison. c. 39.

Qui cum timore aut mala spe viuunt] Qui vel iudicia metuant ob delicta, vel hoc reipublicae statu nihil sperent. Idem Cicero confirmat lib. 7. ad Attic. epist. 3. *Hoc video*, inquit, *cum homine audacissima paratissimoque negotium esse*; omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illuc facere, omnem fere inuirtutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, tribunos valentes, addito C. Cassio, omnes, qui aere alieno premantur.

Scis Appium censorem hic ostenta facere] Modus loquendi, cum aliquid vix credibile significamus. epist. 12. *Scis Domitio diem timori esse?* Et lib. 8. ad Attic. epist. 4. *Saluone C. Attium Pelignum aperuisse Antonio portas, cum essent cohortes quinque, Q. Lucre-*

tium inde effugisse scis? et lib. 9. ad eundem epist. 11. *Lentulum nostrum scis Puteolis esse?* Censor Appius fuit cum L. Pifone, anno urbis DCCIII. lib. 3. epist. 13. Dio lib. 40. lib. 1. de Diuin. c. 16. et in declamatione in Sallustium c. 6. Ostenta facere videbatur, cum bonum virum simulareret, signis enim ac tabulis qui summo opere delectetur, is si alios ab eiusmodi studio ac sumptu deterreat, non ostentum est? Appium autem signa et tabulas, ornamentum quod superfuit in fanis et communibus locis, tota e Graecia atque insulis omnibus abstulisse, scripsit Cicero in orat. pro domo c. 43. et paullo post *furere* appellat: *Hanc deam*, ait, *quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum sepulcri, a fure sublatum, a sacrilego collocatam?*

De agri modo] Sic malui, contra veteres omnes libros, quam, *de agris modo*. quam enim sententiam habet, *de agris modo?* at si legamus, *de agri modo*, hoc significabitur, egisse acerrime Appium censorem de moderanda agrorum possessione: quod maiorum memoria fecerant C. Licinius et L. Sextius tribuni plebis, lege lata de agrorum modo, ne quis ultra D. iugera agri possideret. Linius lib. 6. c. 35. et Epitome lib. 58. Eandem rem significat, et eodem modo locutus est Varro lib. 1. de re rust. c. 3. *Licini Stolonis*, inquit, *maiores de modo agri legem tulerunt*. Cicero etiam lib. 13. ad Attic. epist. 33. *de modo agri* mentionem facit, ut alia eiusdem et aliorum exempla praetermittam.

De aere alieno] Fortasse, ne debitores usuris exhaurentur. cui malo

malo iidem tribuni plebis, proxime nominati, lege mederi conati sunt, hoc modo, *vt, deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio aequis portionibus persolueretur.* Liuius lib. 6. c. 35.

Acerrime agere] Non, vt legem ferat: neque enim ius ferendi leges censores habebant. quod etiam diximus in libro de Legibus: sed, vt auctoritate censoria sumptus moderetur, qui sunt in signa et tabulas; agrorum autem possessionibus modum faciat. quibus de rebus acerrime Appius agebat in senatu, vt consules referrent. lib. 6. ad Attic. epist. vlt.

Censuram lomentum aut nitrum esse] Censuram ita sordes posse aut obtegere, vt *lomentum* rugas tollit; aut eluere, vt *nitro* e vestibus eluuntur maculae: id est, putat se censurae diligentia et seueritate infamiam posse tollere eorum vitiorum, quibus antea se turpiter inquinauit. Phil. 1. c. 8. *Vt quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime seueritate iudicandi sordes suas eluet.* Maculas autem *nitro* tolli solitas, vel illud Hieremiae Prophetiae indicat, c. 2. *Si laueris te nitro, et multiplicaueris tibi herbam bouis: maculata es in iniquitate tua coram me dicit dominus Deus.* Quem locum attingens B. Hieronymus epist. 47. *Caueas, inquit, macula, quae nullo nitro, secundum Hieremiam, nulla fullonum herba elui potest.*

Viscera aperit] Tantum abest, vt veterem de suis vitiis opinionem hominum deleat, vt eam hac seueritate vehementius etiam commoueat.

Apud Drusum] Liuium Drusum, praetorem, quo nemo magis contra legem Scantiniam commisit. Fortasse is est, qui lib. 4. ad Attic. epist. 16. nominatur; et qui Liviae, quae Augusto postea nupsit, pater fuit.

Appium] Male audientem earum rerum causa, de quibus acerrime agit.

Curio] Tribunus plebis.

Remisit de stipendio Pompeii] Hoc tempore optimatibus et Pompeio acerrimus Curio erat aduersarius, intercedebat igitur, ne senatus consultum fieret de stipendio, Pompeii legionibus persoluen- do. epist. 4.

Parthicum bellum] Crasso enim cum legionibus Romanis caeso, finitimis Romanorum prouinciis Parthi minabantur: contra quos vel Caesar, vel Pompeius, qui rei bellicae gloria eminebant, mittendus videbatur. epist. 10. et lib. 7. ad Attic. epist. vlt.

Iudicabit] Quasi armorum iudicio ac sententia dirimentur eorum discordiae. Meus liber habet, *vindicabit*: vnus Sigonii, *vindicauit*.

Sine tuo ERN. Sine summo periculo] Nec obscura est, nec absurda sententia, diligenter tamen considerandum. censo, cur in omnibus plane veteribus libris pro, *summo*, scriptum sit, *suo*. ex quo nonnullis arbitror coniecturam esse ortam, *tuo* legendum esse, quod est in quibusdam libris Transalpinis.

Iucundum] Nullum inter ciues iucundum bono viro certamen esse potest, vel si sine periculo sit. sed loquitur Coelius ex ingenio suo.